



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Historia Ioannis Cochläei De Actis Et Scriptis Martini Lvtheri Saxonis**

**Cochlaeus, Johannes**

**Parisiis, 1565**

Acta & scripta, Lutheri Anno Domini M. D. XXVI.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29789**

disſimulans, Euangelium ſuum ibi publice interdicitum & proſcriptum eſſe ſcribit amplo & generali titulo, perinde ac ſi tota Hollandia Brabantiaque & Flandria ſuarum eſſent partium, cum nihil ſint minus.

Frater Cæſaris, Archidux Aſtriæ Ferdinandus, tanquam locum tenens Imperii, indixerat Imperialem Conuentum Auguſtæ celebrandū, ſub Feſtū S. Martini. Quem cum, pauci ex Principibus per ſeſe comparuiſſent, cito diſſoluit, alium Conuētum Spiræ, in primum diem Maij indicens: Ea ſane ſpe propoſita Principibus, ut Cæſar ipſe illuc eo tempore venturus eſſet. Quātum vero ad religionē attinet, præcepit, ut Concionatores, abſque ſcandalo & ſeditione interpretarentur Euangelium & ſcripturam, iuxta ſanum ſenſum approbatorum Eccleſiæ Doctōrū. Deinde conſtituit, ut omnes Principes & Status, eſſent præparati armis & præſidijs, ſi quis nouus oriretur tumultus. Denique temperauit iuris rigorem circa ſeditioſos, ne ij, qui à ſuperioribus ſuis in gratiam recepti, propter ſeditionem, præteritam, in iudicijs pro infamibus habeantur

*Conſtitutiones  
Ferdinādi I  
cū tenentis  
Cæſareæ Ma  
ieſtatis.*

*Acta & ſcripta, Lutheri Anno Domini  
M. D. XXVI.*

**L**utherus, ubi vidit ſe contra Principes nec minis nec conuitijs, neque etiam ex citatis tumultibus & ſeditionibus ita

*Aſtutia Lut.  
in blanditijs  
ad Principes.*



præualere, ut eius Euangelium acceptarent, aut saltem tolerarent: cœpit serpentino astu aliam excogitare decipiendi viam, nempe, ut promissis preces & deprecationes, pro conuitiis laudes & blanditias, & pro seditiosis irritamentis & virulentis dulces & tranquillas admonitiones scribendo proponeret, ac mitteret priuatim & clandestine, ad eos maxime Principes, quos omnium grauissime offenderat ac publice traduxerat. Cum igitur non ignoraret, in Aula Ducis Saxonie Georgii, haud ita paucos existeret, qui occulte, contra Principis sui mentem & decretum, Lutherico contra Clerum fauerent Euangelio (Atque ex iisce quendam esse etiam Consiliarium eius, & non parum in administratione rerum autoritatis: Qui & postea pessimo facinore in Principem optimum perfidus factus, se ipsum turpissime prodidit) Vana spe illectus ab illo aliisque Lutherus, blandas ac deprecatorias ad eum Principem, quem Tyrannum & mendacem prius dixerat, scripsit, si forte blanditiis muliebriter euincere ac expugnare possit fortè animus, ac robustæ constantiæ virile pectus: Quemadmodum à Dalida meretrice fortissimo Samsoni factum fuisse legerat, Quod minis calumniisque & conuitiis antea non poterat. Sic ergo inter cætera Teuthonice scripsit.

*De Otto  
FasK.*

*Blanda verba  
Luth. ad  
Ducem Geor-  
gium.*

Venio nunc, & procido cum corde ad Illustriſſimæ Clemētiae vestrae pedes, & oro perquā humillime, ut Ill. Cle. vestra adhuc desistere dignetur ab inclementi proposito, ad persequendā doctrinam



doctrinam meam: Non quod mihi multum dā  
 ni fieri queat per Ill. Cle. vestrae persecutio-  
 nem. Non plus amittere habeo, quam hunc  
 miserum saccum vermium, qui tamen quori-  
 die nunc ad sepulchrum properat. Habeo item  
 bene maiorem hostem, nempe Diabolum cum  
 omnibus angelis suis: Attamen Deus hactenus  
 eum mihi dedit animum ( quamuis miser fra-  
 gilisque peccator sim) vt ab illo tutus perman-  
 serim. Et si meum quærere deberem commo-  
 dum, non potest mihi melius contingere, nisi  
 vt grauiter persecutionibus impetar. Quam in-  
 signiter enim hactenus mihi profuerit persecu-  
 tio, commemorare non possum, vt propter hoc  
 hostibus meis merito gratias agere debeam.  
 Quod si mihi gratum foret Ill. Cle. vestram vl-  
 terius quoque irritare, atque optare velim, vt  
 me semper continue persequeretur. At satis fuit  
 Ill. Cle. vestra bene sese ostendit. Nunc tempus  
 est aliter agendi. Quamuis enim Ill. Cle. vestra  
 non velit credere, doctrinam meam esse ver-  
 bum Dei ( Tunc enim seipsam bene informare  
 sciret, & admonitione mea non egeret ) Cum  
 autem ego sciam & certus sim, oportet me sub  
 animæ meæ periculo, pro Ill. Cle. vestrae anima  
 curam gerere, orate, obsecrare, atque exhortari,  
 an aliquid efficere queam. Ill. Cle. vestra non in-  
 tueatur modicam personam meam: Deus enim  
 semel per asinam quoque locutus est. Increpat  
 item in Psalmo XIII. eos, qui consilium inopis  
 contemnunt. Neque tamen Ill. Cle: vestra

*Iactantia Lu-  
 theri de sua  
 doctrina.*



nec vllus hominum doctrinam meam extinguet aut impediet: oportet eam progredi, sicut & hactenus fecit. Non enim mea est. Id vnum doleo, quod videre debeam, quomodo Ill. Cle. vestra tam horrende impingat in lapidem Angularem Christum: Cum Deus alioqui Ill. Cle. vestrae multas bonas virtutes & proprietates aliis in rebus dederit. Det Deus omnipotens, ut bona horavenerim, ac scriptura mea gratiosum inueniat locum in Ill. Cle. vestre corde. Si enim Ill. Cle. vestra (quod Deus auertat) eiusmodi meam humilem accordialem admonitionem non acceptaret, oporteret me Deo committere. Volo autem his conscientiam meam & coram Deo & coram Ill. Cle. vestra, excusatam habere, quod fecerim quantum in me est, & ad faciendum ac omittendum omnia voluntarius ac praesto sum, quicquid scirem Ill. Cle. vestrae beneplacere: Excepta doctrina mea. Eam deserere non possum apud conscientiam meam. Alias vero oro & subiticio me, ac gratiam quaero, ubicunque offendi Ill. Cle. vestram, siue scriptis siue verbis. Remitto item ex corde omnia, quaecunque Ill. Cle. vestra contra me egit. Rogabo praeterea & certissime impetrabo remissionem apud dominum meum Iesum Christum super omnibus, quaecunque Ill. Cle. vestra contra verbum eius facit ac fecit. Solummodo emoliri se sinat Ill. Cle. vestra in hoc vno articulo: Et omnia sunt plana, ut verbum Christi, quod per me in lucem venit, liberum sit. De quo absque dubio gaudebunt omnes



omnes angeli in cœlo super Ill. Cle, vestra, Hæc Lutherus. Cui fortis, pius, & grauitate virili semper constans Princeps in hæc verba respondit.

Literæ tuæ aduenerunt nobis die Natalis Christi, Cuius gratiam & pacem nos tibi optamus, quemadmodum tu nobis, & tui ipsius insuper agnitionem. Et primum quidem id pactum volumus, ac scimus quoque nos coram Deo redemptore nostro in conscientia nostra liberos, nos, dum à te nunc scriptis prouocamur, responsionem nostram non facere animo inlenso, sed voluntate propensa, ad reducendum te in tui ipsius agnitionem, idque absque omni adulatione: Quandoquidem tibi suspecti sumus, tanquam adulationibus circumdati ac repleti. Et hoc tibi damus symbolum, si hac in responsione nostra tibi adulati fuerimus, dicitote liberè, Vnum nostrum à vase odorem contraxisse: At si non fecerimus, tu adultores querito iis in locis ubi te vocant Prophetam, Danielem, Apostolum Germanorum, Euangelistam. Hic certe adulatorem non reperies. Et post pauca. Quod autem nos asperere, contra institutum diuinæ & Euangelicæ legis inuasere, verum dicis. Scis enim quomodo Deus tibi dixerit, quid agas, si quid aduersus proximum tuum habes. Tu vero nos mendaciter, in tergum, & nominatim ad Hartmannum à Cronberg (cuius acta eo tempore quam laudabilia fuerint, satis compertum est) incusasti, velut Tyrannum & hostem euangelii, contumeliosis agnominibus personæ nostræ: detestationibus

*Responsum  
Ducis Georgii  
ad Tuth.*

*Iniuria Lut.  
contra Ducem  
Georgium.*



corporis & animi nostri, multisque verbis pro-  
 brosis & argutis, quæ neque in Euangelio, ne-  
 que in scriptura, cui eiusmodi cõuitia tua æqui-  
 paras, vsquam inuenisti. Nos ad te iuxta qualita-  
 tem causæ satis clementer scripsimus, ad intel-  
 ligendam tuam siue culpam siue innocentiam,  
 ac longe potius innocentiam, quam aliud com-  
 perite voluissemus. Tu vero, ex furore & inciu-  
 litate tua, adeo vehemens nobis dedisti respon-  
 sum, ac pluribus insuper mendaciis nos inuasi-  
 sti, ac tanquam inclementem tibi dominum  
 nos acceptasti: tamen si nos ad ea tibi nullam de-  
 derimus causam, neque simplici scripto nostro,  
 neque vlla re alia. Et infra. Vt autem tibi, quod  
 Clementissimum Dominum nostrum, Roma-  
 num Imperatorem, cui fide & iureiurando ob-  
 stricti sumus, tam contumeliose ac scelerate cri-  
 minaris, eiusque mandatum tam procaciter cõ-  
 remnis, clemens dominus esse debeamus, quo  
 pacto id nos deceat? Ad hæc, Vuitteberge quod-  
 dam instituisti Asylum, vt omnes Monachi ac  
 Moniales, qui nobis Tempa ac Monasteria no-  
 stra deprædantur furtis & direptionibus, apud  
 te habeant refugium ac receptaculum: Perinde  
 ac si Vuittenberga foret ciuilitate nominanda,  
 Arx quædam Communis omnium Apostatarum  
 prouinciæ nostræ. Nec vllum nobis dubium est  
 Sanctissimum patrem nostrum Papam, nunquã  
 vllas dedisse Indulgentias, quas maioris feceris  
 tu, quam eas, quis tui Vuittenbergenses prome-  
 reantur rapto Monialium, quæ ex Monaste-

*Iniuria in Ca-  
 sacem.*

*Asylū genera-  
 le Apostatarū*



riis nostris ad te perductæ sunt. In quam vero calamitatem miseriamque damnablem tu eas redegeris, & quomodo tractentur, & ad quid, satis constat. Vt Diabolus ob hæc tibi inimicus existat, non credimus sane. Si enim ob ea tibi mali aliquid faceret, nisi permissione ac potestate Dei facere cogeretur: posset incusari, quod id ibi præmii daret, quod licetor solet suo ministro. Quodque ista tibi nostram concilient clementiam, non est. Nam si minimo rusticorum ex terris nostris vel vacca abigeretur, nobis displiceret: Multo minus, cum simus seruus Christi, tolerare possumus, vt proprius grex eius & corpore & anima pariter abalienetur: Et rursus, Affirmare item possumus, nobis Euangelium tuum curæ parum esse, cum sit à Capitibus Christianitatis pro reprobo iudicatum. Id vnum curauimus, vt, ac à nostris acceptaretur, pro virili præcaueremus. Ad hoc nobis causas dedere mali fructus, inde producti. Neque enim tu, nec alius quispiam, vere dicere potest aliud, quam blasphemiam sancti venerabilis Sacramenti, sanctissimæ Dei Genitricis, omniumque sanctorum, ex tua doctrina originem habere. Ex tua enim tuorumque discipulorum doctrina, omnes antiquæ ac reprobæ hæreses renouantur: omnis Dei cultus honestus oboleretur. Quod sane à temporibus usque Sergii tā late nūquā factū est. Quando plura facta sunt sacrilegia Deo consecratarum personarum, quā post productū Euangelium tuum? Quando plures, rogo, factæ sunt

*Pessimi fructus Euangelii Lutherani.*



*Euangelium  
Lutheri de  
subtus scamno  
productum.*

*Lutheranū co  
vā Deo inex-  
cusabiles.*

sunt rebelliones contra Superiores, quam factæ sunt ex Euangelio tuo? Quando plures factæ sunt depraedationes sacrarum domuum? Quando plures factæ sunt rapinæ ac furta? Quando plures fuerunt Vuittenbergæ excucullati Apostatae Monachi, ac Moniales, quam nunc sunt? Quando maritis ademptæ sunt vxores aliisque traditæ, quam quod nunc in tuo reperitur Euangelio? Quando plura facta sunt adulteria, nisi postquam tu scripsisti, si mulier à viro suo fornicari nequeat, vt ad alium transeat à quo fornicaretur, & vir fornicium illum alere teneatur: & contra, vir itidem quoque faciat? Hæc tuum Euangelium, quod sub scamno latens produxisti, attulit: & rectum quidem ei nomen imponis, quod sub scamno latens produxeris. Bonum profecto foret, illud adhuc sub scamno latere. Nā si ad huc alterum tale produxeris, nos nullum conseruabimus rusticum. Si Christus tale voluisset Euangelium, non tam saepe dixisset, pax vobis. Petrus & paulus non dixissent, Superioribus obediendum esse. Idcirco illi ipsi fructus nobis ingentem & nauseam & horrorem faciunt tuæ doctrinæ cuique Euangelii. Euangelio Christi nos, volente Deo, assistemus corpore, anima, substantia ac dignitate: Id quod nos sua adiuet gratia Tu nos admones mortis, cuius certi sumus, Quid autem fieret, si tuum amplexi Euangelium moreremur? Nonne Deus dicere posset. Vnde hic, qui nouum Euangelium cum tot fructibus malis secum affert? Nonne dixi tibi, vt at  
borem



borem ex fructibus cognoscas? Si diceremus,  
 Lutherus dicebat, esse Euangelium, quod sub  
 scamno latebat: Deus autem diceret, At aliter ti-  
 bi dixit Ecclesia Catholica. Cum igitur quoti-  
 die dicas, te credere Ecclesiam Catholicam:  
 Quare ergo Luthero credis, & non Ecclesiae?  
 Nequaquam, Luthere, Serua tu Euangelium  
 tuum, quod sub scamno latens produxisti Nos  
 permanebimus apud Euangelium Christi, sicut  
 recipit illud Ecclesia Catholica, ac seruat: Id  
 quod Deus nos adiuuet. &c. Lutherus, ubi hanc  
 tulisset repulsam, aliam tentandi viam, multo  
 maligniorem ingressus, blandissime scripsit ad  
 Cardinalem & Archiepiscopum Moguntinū  
 ac Magdaburgensem: Principem Electorem,  
 Dominum ALBERTVM natalibus Mar-  
 chionem Brandeburgensem. Cui multis argu-  
 mentis persuadere nitebatur, vt abiecto celiba-  
 tu duceret vxorem, & Archiepiscopatus suos in  
 saeculares conuerteret Principatus, aliisque E-  
 piscopis & Praelatis esset exemplo, ad funditus  
 tollendum e medio Statum Ecclesiasticum. In  
 hunc igitur modum exorsus est Teuthonice.

Gratiam & pacem à Deo patre & Domino  
 nostro Iesu Christo. Illustrissime ac Generosiss-  
 sime Princeps, Clementissime Domine, Ego  
 aliquoties illustriss. Dominationi vestrae scri-  
 ptis hactenus molestus fui propter alios: Nunc  
 cogor propter ipsammet Illustriss. D.V. scribe-  
 re. Et rogo admodum subiectè, illustriss. D.V.  
 ita acceptare dignetur in bonum, sicut fideliter

*Epistola Lu-  
 theri ad Car-  
 Moguntinū.*

Q



intendo. Inter ceteras curas ac sollicitudines cum me perturbet hæc quoque infesta & horrenda seditio, ut sedetur, quæ per Satanã, tanquam plaga Dei excitatur, venit in mentem, Ill. D. V. exhorter ac implorem, magna spe atque fiducia, quod Ill. D. V. possit sciat, modo velit, multifariam auxilio esse, simul et deuota ad Deum prece, ut res melius habeat. Et hic breuiter est scopus, ut Ill. D. V. dedat sese in statum Matrimonij, atque Episcopatum in sæcularem Principatũ conuertat, ac falsum nomen prætextũque Ecclesiastici status abiciat ac dimittat. Et hæc sunt rationes meæ. Primum, ut per hoc vltio diuina præueniatur, ac Satanã eripiat causa seditionũ. Nunc enim luce clarius est, Statum Ecclesiasticum manifeste contra Deum eiusq; honorem esse. Idcirco simpliciter nullo pacto sperandum est, Deum ab ira vltioneq; cessaturum esse, quamdiu à tam manifesta abominatione contumeliaq; sui sancti nominis non cessatur. Domine Deus. Si vos Episcopi ac Principes in tempore rem adiuissetis atque Euangelio spacium dedissetis, ac incepissetis mutare id, quod manifesta est abominatio: quàm pulchre ac tranquille hoc per ordinatam potestatem legitime foret institutum atque erectum, quod nunc Diabolus cum furore cõfundit. Quum autem neque videre neque audire vellent, sed cum temeritate manifestã abominationẽ sustinere conarẽtur,

dimittit

*Scopus totius  
Epistolæ, ut  
Episcopus dicitur  
cat uxorem.*



dimisit illud Deus nihilominus cadere fūdītus  
 cū indignatione, vt ostendat, verbū suū potē-  
 tius esse cunctis rebus, ac progredi oportere, e-  
 tiam si millies amplior esset mundus. Deinde,  
 quod communis populus nunc eo vsq; erudi-  
 tus est, vt intelligat iam, Ecclesiasticum statum  
 nihil esse: Sicut id satis superq; ostendunt tā va-  
 ria Cantica, dictoriaq; & scommata derisoria.  
 Vbi in omnibus parietibus in omniuariis sche-  
 dulis, postremo etiam in Chartiludio, Presby-  
 teri Monachiq; deplunguntur, & velut ludibriū  
 ac portentum habetur, vbicunq; Ecclesiastica  
 persona videtur, auditurue. Quid ergo condu-  
 cit, contra fluminis impetū pugnare, ac tenere,  
 quod neq; vult neq; potest teneri? Hoc certe vel  
 palpari potest, Cum Ecclesiastic<sup>9</sup> status ex cor-  
 dibus hominum abierit, ac vsq; adeo contēptus  
 sit: non esse sperandum, vllam fore vel requiem  
 vel cessationem, nisi ex oculis quoq; abeat. Sed  
 quanto magis tenetur ac reputatur, tanto plus  
 irridetur ac prauipenditur. Quid ergo prodest,  
 tali pertinacia homines eo magis incitare, ac  
 irritare contra seipsum: praesertim, cum Deus  
 ipse sententiam vltionemque vrgeat, Ecclesia-  
 sticos eradicaturus. Sicut ait Psal. X. Perdis im-  
 pios, vt etiam nomen eorum in aeternum per-  
 eat. Actum est, Ecclesiasticus status permane-  
 re non potest, multo minus, ad honorem redi-  
 re. Deus tetigit eum, oportet ipsam interire.  
 Hoc, & non aliud. Hæc potest Ill. D.V.  
 prauenire, ac per seipsam auxilio esse, vt vltro

*pseudopro-  
 pheta.*

Qij



*Rationes ma  
lesuadæ.*

aboleatur. Et spes est, Deum affore, rem quoque cum gratia peragendam esse, ne cogatur cum indignatione hanc ad rem Diabolo vii. Et Ill. D. V. grandem ad hoc præ cæteris habet causam: Quandoquidem ipsa in Deum præuaricata, ad manutenendum statum Ecclesiasticum, magnas contulit impensas, vt confortaretur. Quod si homines aliud iam viderent, cor quoque eorum pulchre conuerteretur. At si Ill. D. V. adhuc restiterit, aut rem suspenderit, v-

*Exemplum à  
magno magi-  
stro Prussiae.*

rendum est, non diu posse perdurare. Corda enim non desistunt, quemadmodum nec ira Dei desistit. Et habet Ill. D. V. pulchrum exemplum, Magnum Magistrum Prussiae, quàm pulchre ac gratiosè Deus talem immutatione disposuerit, quæ ante Decem annos, neque speranda neq; credenda fuisset, etiam si Esaias aut Paulus annunciasset. Quum vero ille Euangelio & spacium & honorem daret, ipsum ei multo plus gloriæ atque honoris reddidit, quàm optare fuisset ausus. At longe maius exemplum foret Ill. D. V. Quæ in medio Germaniæ, ex maximis Capitibus vnum quoque existit, hic multos homines tranquillos redderet atq; lucraretur, aliosque Episcopos subsequenter alliceret. Tunc & Deus se videndum præberet in gloria, dum se Ill. D. V. erga eum humiliaret, eiusque Euangelio & nomini cederet, locumque daret: Sicut promittit ipse Ioan. 5. Qui honorificauerit me, inhonorificabo & ego. Qui autem inhonorauerit me, inhonorabitur & ille.



Te. Super eiusmodi tam potenti consolatoriaq;  
 romissine attentet alacriter Ill. D. V. eripiat-  
 e se ex scelesto impioque statu, in beatum di-  
 uinumque statum Matrimonij, vbi Deus pro-  
 piciam se faciet inueniri. Quod si tanta vtilitas *Suasio ex crea-*  
 publica Germaniæ (quam ego magnifacio, o- *tione.*  
 pusque valde pium est) Ill. D. V. non permo-  
 ueat: hoc tamen vel solum sufficeret, quod Ill.  
 D. V. comperit ac fateri cogitur, se à Deo virilē  
 personam factam esse. Tam vero vtique opus ac  
 voluntas Dei est, vt vir habeat mulierē, Gen. 1.  
 Non est bonum (inquit Deus) virum esse solum,  
 faciam ei adiutricem, quæ circa eum sit. Vbi igi-  
 tur Deus non facit miraculum, Angelum ex  
 homine faciens, nō possum videre, quomodo  
 vir queat, absque ira indignationeque Dei, so-  
 lus ac sine muliere manere &c. Hæc serpēs an-  
 tiquus per Lutherum. Caterum Princeps ille  
 hominis improbam leuitatem audaciamque &  
 vanitatem contemnens, ad eas literas dissimu-  
 lando prudenter tacuit: licet in publicum ædi-  
 derit eas Lutherus. Ad quas sane responsurus  
 fuisset Ioannes Cochläus, Moguntiarum tunc de-  
 gens, nisi tardius equo venissent in manus eius, *Constantia*  
 quando iam sopita & elanguida erat illarum fa- *Card. contra*  
 ma, quam & Principis illius grauitas & constā- *tentatores.*  
 tia vltro contemptibilem reddebant. Eiusmodi  
 enim Syrenas iam pridem audierat multas, &  
 quidem nobilitate conspicuas. E quibus bona  
 pars erant in occulto, tum Principes tum Co-  
 mites & Barones, qui eius leuitate ac mansue-

Q. iij



rudine freti, familiari admonitione rem vxoris  
 tanto Pontifici suggerere clā non sunt veriti  
 Quibus sane temeritatibus effectum est, vt vul-  
 gus Lutheranorum vana spe delusum, saepe me-  
 dacem confinxerit famam, Principem illum,  
 abiecto Pontificatu, duxisse vxorem. Sed multo  
 adhuc impudentiori audacia Lutherus aggressus  
 est Regē Angliæ, HENRICVM VIII.  
 Quem publice prius tot probris lædoriis, san-  
 nis, atq; calumniis, ad populos & Nationes tra-  
 duxerat. ipse quidem affirmabat se illectū fuisse  
 à Rege Daniæ Christierno ( qui è regnis suis  
 profugus, exul, per Germaniam vagabatur ) vt  
 ad ipsum scriberet Regem Angliæ. Verū Duo  
 Angli Apostatæ, qui aliquandiu fuerant Vint-  
 tenbergæ, non solū quærebant subuertere Mer-  
 catores suos, qui eos occulte in exilio fouebāt  
 & alebant: Verum etiam cunctos Angliæ popu-  
 los, volente nolente Rege, breui per nouū Lu-  
 theri Testamentum, quod in Anglicanam tra-  
 duxerant linguam, Lutheranos fore sperabant.  
 Venerant iam Coloniam Agrippinam, vt Te-  
 stamentum sic traductum, per Typographos in  
 multa Milia multiplicatum, occulte sub aliis  
 mercibus deueherent inde in Angliam. Tanta  
 enim eis erat rei bene gerendæ fiducia, vt pri-  
 mo aggressu peterent à Typographis, Sex Mi-  
 lia sub prælum dari. Illi autem subuerentes, ne  
 grauissimo afficerentur damno, si quid aduersi  
 accideret, tantum Tria Milia sub prælum misce-  
 runt: Quæ si foeliciter venderentur, facile pos-  
 sent

*Aliatentā  
 di via ad An-  
 gliam.*

*Nouū Test.  
 Luth. in lin-  
 gua Angli-  
 ca.*



sent imprimi denuo. Iam literas ad Sanctos, qui sunt in Anglis, præmiserat Pomeranus, & ad Regem quoque scripserat ipse Lutherus. Cunque nouum Testamentum mox subsequuturū crederetur, tanta ex ea spe lætitia Lutheranos inuasit, ac vanæ fiduciæ vento inflauit, vt gaudio distenti, ante diem ruperint secretum vanis iactationibus. Exultabat eo tempore Colonix Ioannes Cochlæus, Decanus Ecclesiæ B. Virginis Francofordiensis, Qui per hospitem suū, Georgium Lauer, Canonicum ad Apostolos, Abbati Tuitiensi redditus familiariter notus, vbi audisset opera quædam Ruperti Tuitiensis quondam Abbatis, mittenda esse Nurenbergam, vt à Lutheranis æderentur in publicū: cœpit summo studio eam rem & dissuadere & impedire. Nam Lutherani in eum vsq; diem, cum omnes Bibliothecas antiquas diligentissime exquississent ac discussissent, nullum prorsus autorem ex cunctis tot sæculorum Doctoribus Ecclesiæ inuenire potuerunt, qui Lutheri dogmata comprobassent. Inuentum tandem illius Ruperti, qui ante 400. annos vixerat, opusculū, cui titulus erat. *De Victoria verbi Dei*, mox Nurenbergæ a Lutheranis euulgatū est. Quod suo titulo ita mox placuit omnib<sup>9</sup> Lutheranis, vt nihil videretur eo autore desiderabilius. Interim ex Tritemio intelligebāt, illū cōplura scripsisse opuscula, sed duo tantū paruula inueniāt: Quorum vnum de potentia, alterum de vo-

*Opuscula Ru-  
perti Abba-  
tis Tuitiensis  
tunc edita.*

Q, iij



*Opuscula il-  
lius Coloniae  
reventa & ex-  
cusa.*

*Plura eiusde  
opuscula post  
inventa.*

luntate Dei inscriptum erat. In eorum æditio-  
ne multa Lutherice apposuerat Osiander, vxor-  
ratus presbyter & prædicator, quibus pium au-  
torem impiæ sectæ patronum facere tentabat.  
Et iam dudum egerant cum ipso Abbate Tui-  
tientiensi: vt reliqua Ruperti Opera Nurenbergam  
excudenda, transmitteret. Ille vero, vt à Co-  
chlæo audiuit, quantum periculi foret ea in re,  
si pium autorem traderet in manus impiorum,  
qui eum non solum impiis præfationibus, &  
annotationibus scæde contaminaturi essent: Ve-  
rum etiam integros & sanos illius sensus depra-  
uaturi, ex Catholico antiquo facturi essent hæ-  
reticum nouum, qui videretur cuncta Lutheri  
dogmata ante annos 400. approbasse. Abba-  
gitur ille, vir bonus, mutata sententia, volumi-  
na iam in grâdem fascem compacta, velut Nu-  
renbergam transmittenda, apud se retinuit. In  
quo sane fasce erant X I I I. libri in Euan-  
gelium Ioannis, X I I. libri in Apocalypsim eius-  
dem, & X I I. libri, de Diuinis Officiis. Cum  
autem Monachi quieturi non essent, nisi adde-  
rentur opera illa: Cochlæus Petro Quentellio,  
& Arnolde Berckmanno sedulo suasisit, vt com-  
munibus inter se impensis & lucris ea opera sus-  
ciperent ædenda. Persuadere tamen non po-  
tuit, donec tandem omnem suam operam ad  
æditionem illam eis pollicitus esset. Cuncti  
æditio illa satis quæstuosa eis existet, non ege-  
bunt amplius impulsore Cochlæo, sed ipsimet vltro  
plura illius opuscula desiderabant: rogantes  
nunc



nunc Abbatem, nunc Cochläum, vt vndecun-  
 que plura conquireret. Abbas itaq; ex vetustis  
 S. Benedicti Monasteriis perquisiuit XXXII.  
 libros in XII. prophetas minores, & VII. li-  
 bros in Canticum Canticorum. Cochläus ve-  
 ro iuenit Colonia in Bibliotheca Maioris Ec-  
 clesiae I X. libros, De glorificatione Trinitatis,  
 & processione Spiritus sancti. Et in scholis Ar-  
 tium grande volumen, quod de operibus Trini-  
 tatis inscriptum, XLII. cōplectebatur libros.  
 E quibus in Genesim erant I X. In Exodum  
 IIII. &c. Cūque sciret Rupertum olim Leo-  
 dij ad S. Laurentium fuisse Monachum, scripsit  
 Theoderico Hezio, Canonico Leodiēsi, quem  
 Romæ post obitum Adriani VI. ( cuius ille à  
 Secretis intimus extiterat ) familiaris cogno-  
 uerat, obsecrās, vt is in eo Monasterio perqui-  
 reret, quidnam ex Ruperti libris extaret. Ille er-  
 go reperit maxime desideratum opus, XIIII.  
 libros in Matthæum, de Gloria & honore filij  
 hominis. Verum transmittere Coloniam non  
 potuit Archetypum, nisi ipse cum duobus aliis  
 Canonicis, pro restituendo exemplari, cuncta  
 bona sua in hypothecam Monachis obligaret.  
 Ea igitur volumina vniuersa Cochläus, Mogū-  
 tiam euocatus, secum detulit, atque ibi residēs,  
 ad æditionem præparauit, Coloniamque ædē-  
 da remisit. Hinc Typographis Coloniensibus  
 notior ac familiarior factus, audiuit eos aliquā  
 do inter pocula fiducialiter iactitare, Velint  
 Nolint Rex & Cardinalis Angliæ, totam An-

*Secretum An-  
 glicorū Apo-  
 statarum vi-  
 no reuelatum.*



giam breui fore Lutheranam. Audiuit itē, duos  
 ibi latitare Anglos, eruditos linguarumq; peri-  
 tos & disertos, quos tamen videre aut alioqui  
 nunquam potuit, Vocatis itaque in hospitium  
 suum quibusdam Typographis, posteaquam  
 merito incaluisse, vnus eorū in secretiori col-  
 loquio reuelauit illi arcanum, quo ad Lutheri  
 partes trahenda esset Anglia. Nempe versari  
 sub prælo Tria Milia Exemplarium Noui Te-  
 stamenti Lutherani, in Anglicanam linguam  
 translati, ac processum esse iam vsq; te ad literā  
 Alphabeti K. in ordine Quaternionum. Impē-  
 sas abunde suppeti à Mercatoribus Anglicis,  
 qui opus excusum clam inuecturi per totam  
 Angliam latēter dispergere vellent, antequam  
 Rex aut Cardinalis rescire aut prohibere pos-  
 sit. Cochlæus intra se metu & admiratione  
 varie affectus, foris mirabundus incertum  
 dissimulabat. Altero autem die, periculi ma-  
 gnitudinem tristis secum expendens, cogi-  
 tabat, quo nam pacto possit commode pesti-  
 mis illis conatibus obistere. Abiit igitur clam  
 ad Hermannum Rink, Patricium Colonien-  
 sem, ac Militem Auratum, qui & Cæsari &  
 Regi Angliæ familiaris erat & Consiliarius, ei-  
 que rem omnem, vt acceperat vini benefi-  
 cio, indicauit. Ille, vt certius omnia consta-  
 rent, alium misit exploratum in eam domum,  
 vbi opus excudebatur iuxta indicium Co-  
 chlæi. Cumque ab illo accepisset rem ita habe-  
 re, & ingentem Papyri copiam ibi existere: a-  
 diit

*Hermannus  
 Rincus Colo-  
 niensis Patri-  
 us.*



diit Senatū, atque effecit, vt Typographis interdiceretur, ne vltra progredierentur in eo opere. Duo Apostata Angli, arreptis secū Quaternionibus impressis, aufugerunt, nauigio per Rhenū ascendentes Vuormaciam, vbi plebs pleno furore Lutherizabat, vt ibi per alium Typographum cœptum perficeret opus. Rincus vero & Cochlæus de his mox admonuerunt literis suis Regem, Cardinalemque & Episcopum Roffensem, vt quàm diligentissime præcauerent in omnibus Anglię portubus, ne merx illa perniciosissima inueheretur. Fei ut Dominum Cuthebertum Tunstallum, virum disertissimum, Episcopum tunc Londinensem, nunc Dunelmensem, cum adeptus fuisset vnū ex illis exemplaribus, in maxima concione ad populum Londini publice affirmasse, supra duo Milia deprauationum atque peruersitatum se in vno opere illo deprehendisse. Dum hæc agerentur, peruenit tandem in manus Regis Anglię epistola Lutheri, quam is anno superiore scripserat Vuitenbergæ, prima die Septembris. Ea mira que præmissa salutatione in hunc modum exorsus est, Quanquàm vereri merito debuerim, Serenissime Rex Illustrissiméque Princeps, literis Maiestatem tuam tentare, vt qui mihi conscius maxime sum, grauissime offensam esse Maiestatem tuam libello meo, quem non meo genio, sed incitantibus iis, qui Maiestati tuæ parum fauebat, stultus & præceps ædidi. Tamen spè & au-

*Epistola Lutheri ad Regem Anglię deprecatoria.*



sum mihi facit, non modo Regia illa tua Clementia, sic mihi literis & verbis indies cātata à quàm plurimis, vt cum mortalem sese nouerit, immortales inimicitias seruaturum esse nō credam: Verum etiam, quod fide dignis testibus didici, libellum sub Maiestatis tuæ nomine in me æditum, non esse Regis Angliæ, vt videri volebant subdoli Sophistæ, qui Maiestatis tuæ titulo abusi, non senserunt, quantum sibi ipsi periculum in regia ignominia pararent: præsertim illud monstrum & publicum odium Dei, & hominum, Cardinalis Eboracensis, pestis illa Regni tui: Ita, vt vehementer nunc pudefactus, me tuam oculos coram Maiestate tua leuare, qui passus sum leuitate ista me moueri in talem tantumque Regem, per malignos illos operarios, præsertim, cum sim fex & vermis, quem solo cōtemptu oportuit victum aut neglectū esse. Accidit ad hæc, quod me serio compulit, quantumuis abiectum scribere, Maiestatem tuam cepisse fauere Euangelio, & non parum tædere istius generis hominum perditorum. Hoc sane nuncium fuit vere Euangelion, id est, latū nuncium, cordi meo. Quare his literis prostrerno me pedibus Maiestatis tuæ, quantum possum humillime, & per Christi crucem & gloriam oro & obsecro, Maiestas tua dignetur sese submittere, & veniam donare, in quibuscunque Maiestatem tuam læsi, sicut Christ⁹ orauit, & dimittere debita nos quoque inuicē iussit. Deinde si Maiestati tuæ Serenissimæ nō videbitur cōtempnendum,

*Offert Regi  
Palinodiam  
Luth.*



dum, vt alio libello publico Palinodiã cantẽ, & nomen Maiestatis tuæ rursus honorẽ: Det mihi clementem aliquam significationem. Tum in me mora non erit vlla, faciam illud libèrissime &c. Rursus sub finem sic ait. Quid mirum vero, si Cæsar & aliquot Principes in me seuiũt? Nonne, vt Psalmus secũdus dicit, aduersus dominum & Christum suum fremunt gentes: meditantur populi, conspirant reges terræ, & conveniunt Principes? vt mirandum potius sit, si aliquis Principum ac Regum Euangelio fauceat. Huic miraculo in Maiestate tua, quã opto ex totis medullis aliquando gratulari. Et ipse dominus (quo præsente & volente hæc scribo) cooperetur verbis meis, vt Rex Angliæ breui fiat perfectus discipulus Christi, Euangeliiq; professor, tum Lutheri Clementissimus Dominus Amen. Responsum, si visum fuerit Maiestati tuæ, expecto clemens & benignum, Vuittenbergæ prima Septẽbris anni Domini M. D. XXV.

Huic epistolæ Rex ille exemplo respondit, cum satis olfaceret, quo tenderet subdola eius oratio. Cæterum cum responsio illa bene prolixa eruditionisque & grauitatis plena sit, multis modis ac vicibus est per Typographos euulgata, atque etiam per Emserum & Cochläum in Germanicam linguam versa: Hic satis fuerit, pauca in memotiam reduxisse. Primum igitur ita respondit Rex. Quod ais, libri tui pudete, nescio quã tu istud vere dicas. Verum hoc vnum scio, satis esse causæ, cur debeat non illius

*Responso Regis Angliæ contra Luth.*



modo libri pudere te, sed tuorum etiam ferme omnium. Quippe, qui nihil pene complectantur aliud, quàm errores turpissimos, & insanissimas hæreses, nec ratione fulcitas, nec eruditione subnixas: sed quas asserit & affirmat tantum pertinax impudentia, dum tantus autor haberi postulas, quantus nec hodie quisquam sit, nec antehac vsquam fuerit. Nec satis video, qui verum sit, ut ad ædendum in me libellum tuum sis ab iis incitatus, qui parum fauebant mihi: Cum res ipsa doceat, ab iis incitatum potius, qui parum fauebant tibi. Quippe quum liber tuus sit eiusmodi, ut nec aliud quicquam, quàm probum conciliare possit auctori, & librum honestet meum. Cui tuus declarat ne verbum quidem sani capitis vllum repperisse, quod aliquando possis opponere. Quæ res satis, ut opinor, indicat, vter nostrum causam habeat meliorem.

*Liber Regis  
de Sacramen-  
tis.*

Iam quantumuis te fingas credere, æditum à me libellum non esse meum, sed meo nomine subornatum à Sophistis subdolis: Tamen & meum esse, multi maiore fide digni, quàm sunt tui illi fide digni testes, cognoscunt. Et ego, quanto tibi minus placet, tanto magis libenter agnosco. Nam quod eum mihi scribis ignominiam parere, nemo certe non intelligit, quantumlibet tu dissimules, quàm ægre habet animum tuum, quod libellus meus tanto bonorum & doctorum omnium consensu comprobatus est. Tum eius Sedis honorifico calculo: Quæ ut tuas condemnauit hæreses, ita sanctissimo



simo viro Hieronymo tantæ fuit autoritatis,  
 vt satis esse duceret, si suam illi Sedi fidem ap-  
 probaret. Et post pauca. Iam, quod pestilente  
 (inquit) lingua scurraris in Reuerendissimum  
 in Christo Patrem, Cardinalem Eboracensem, *Card. Eborac-*  
 Primarium Consiliatum nostrum, & Angliæ *ensis.*  
 Cancellarium: magis perspectam habeo singu-  
 larem eius prudenciam, quàm vt eum quicquam  
 commoueri credam scurrilibus eius linguæ  
 conuitiis, quæ in totam scurratur Ecclesiam,  
 quæ sanctissimos proscindit patres, quæ nullos  
 non blasphematur Diuos, Christi que contemnit  
 Apostolos, quæ sanctissimam Christi matrem  
 inhonorat, quæ Deum ipsum, velut scelerum  
 fontem, autorem, impulsoremque blasphematur.  
 Quæ blasphemiarum tuarum detestanda collu-  
 uies, nusquam non euidenter patet, tum ex  
 omni parte perniciosorum operum, quæ tanto  
 Christiani populi damno conscripsisti: tum ex  
 his, quæ passim in Germania tam furiose pa-  
 trant, tuis hæresibus efferati rustici. Itaque  
 Reuerendissimus ille Pater, quanquam nobis  
 iamdiu fuit, propter eximias eius virtutes, cha-  
 rissimus: idem tamen est, eritque indies tan- *Diligēs inquit*  
 to nobis charior, quanto illum tibi tuique si- *stio in An-*  
 milibus magis videmus inuisum. Nam quod *glia cōtra Leo-*  
 eum Regni mei pestem appellas, non est con- *theranos.*  
 siliam fraterculo rationem reddere, ex eius vi-  
 ri singulari prudentia, fide, labore, studio, &  
 salubri diligentia, Nos regnumque nostrum  
 quanta consequamur commoda. Verum vt



omittam cætera, vel hoc satis indicio est, quàm  
 toti terræ nostræ salutaris sit, Quod ex animi  
 nostri sententia demandatum, sibi munus per-  
 quàm diligenter exequitur, & ditionē nostram  
 sedulo purgans, hæresum vestrarum pestilente  
 contagio: Quibus interdum intrant Angliam,  
 quidam vehementer egroti: Nempe ex iis veniē-  
 tes plagis, quas in salubris oris tui noxius infe-  
 cit afflatus. Quos tamen ipsos diligenti inquisi-  
 tione compertos, eiusmodi Reuerendissimi Pa-  
 tris salubri diligentia, non solum arcuimus, ne  
 quid ad nostros eius lepre serperet: Verum etiā  
 tractatos cōmode, & magna cum charitate cu-  
 ratos, fidei integritati reddidim⁹. Et infra Scri-  
 bis Luthere vehementer pudere te, oculos in  
 nos attollere, quod te tam leuiter passus sis per  
 operarios iniquitatis, vt ais, aduersus nos mo-  
 ueri: Verum ego profecto non paulo magis ad-  
 miror, quod te non pudet setio, leuare palpe-  
 bras, & vel in Deum uel hominem quenquam  
 probum oculos intendere, qui te passus sis, in-  
 stigante Diabolo, in eam ingenij leuitatem ca-  
 dere, vt ob carnis ineptias & obscænas libidi-  
 nes, quum frater Augustinianus esses, Mo-  
 nacham Deo dicatam, scelerato cōpressu vio-  
 laris. Quid, quod non compressisti solum.  
 Quale flagitium si designasses olim apud Ro-  
 manos Ethnicos, & illa terram viua subiis-  
 set, & tu ad mortem vsque verberibus esses  
 multatus: Verum etiam, quod nimio est exe-  
 crabilius, publice pro vxore nuptiis incestissi-  
 mis

*Exprobrat lu-  
 thero Rex nu-  
 ptias cū Mo-  
 niali inuicis.*



mis traduxisti, atque ita palam summo cum totius mundi stupore, summo per orbem totum opprobrio & vestro, summo cum sacrosancti coniugij contemptu, summa cum sanctissimorum votorum contumelia, per nephas abuteris in quotidianum prostibulum. Denique quod omnium est maxime detestandum, quum te deberet tam execrandi facinoris pudor & dolor obruere, pœnitentiæ loco præ te fers miser impudentem gloriam, tam longe fugiens implorationem veniæ, vt etiam in tui sceleris exemplum, passim per pseudoreligiosos alios literis ac libris prouoces. Et post multa. Iam quod honoris tantum; scilicet tam ciuilitè offers nobis, vt si mihi placitum sentias, alium librum non graueris edere, quo de me largiter meras laudes prædices: simul ea reuocans ac retexens omnia quæ dudum in diuersum scripseras. Hoc te labore toto, Luthere, oppido quàm libens libero. Neque enim sic incendor gloriæ ieiunio, vt tuos libros in meas laudes ambiam, sed opto potius, quod magis in rem sit tuam: Nempe, vt agnitis erroribus & recantatis hæresibus, resipiscens tandem & reuersus ad fidem, sic eam scriptis probes & operibus bonis, vt inde laudem possis & gloriam dare Deo. Alioqui si ad istum, quo cœpisti, modum, in hæresibus impiis & improba vita perrexeris, me profecto laudare non potes impensius, quàm si vituperes: Nec ediuerso magis odiose traducere, quàm si quàm maxime potes, extollas: Si verum est, vt est

R

*Res Luth.  
laudes recusat  
quod turpe sit  
a t ali laudari*



profecto, quod legitur apud Senecam, Turpe tibi sit laudari à turpibus, quàm si laudaris ob turpia. Quamobrem cum scribis, libri in me æditi vehementer te pudere, culpam transferens in alios, nescio quos, quorum instigati ni parueris, & pedibus meis aduolutus supplexiter oras veniam: sperans, quum me mortales meminerim, quod immortales inimicitias non lim gerere. Profecto Luthere, tamen si tu magis & sublimiter de teipso sentiens, pro viro toto sepe habuisti te, ut non puduerit, scriptis tuis profiteri, non esse solum te, sed & futurum semper, ne viuum modo, sed præterea mortuum immo exustis etiam cineribus, & in mille proiectis maria, perpetuum tamen hostem & inimicum Pontifici (cuius fastigio non nescio quomodo longo Reges interuallo sunt impares) Ego nunquàm tamen æstimavi tanti, ut vnquàm indignatus esse inimicus tibi: tamen si hæc festinas habeam quàm alius quisquam, exofas. Sed nec eorum conuitorum quicquam, quibus me scurriliter debacchatus es, tam valde me commouit, ut non prece multo minore nobis possim quàm qua nunc es usus, abunde satisfacere, si tibi res ex animo & sincere satis ageretur &c.

In has duas Epistolas sic scripsit in prologo suo quidam Anglus. Regis ingenium & prudentiam ostendunt vel æditi ab eo libri, quibus insana atque impia dogmata Martini Lutheri sic confutauit, sic Lutherum ipsum omni consilio contra disserendi denudauit, ut omni rationis

*Rex Lutheri  
pro inimico habere dignum  
non putat.*

*Prefatio cuiusdam Angli  
in despectum  
Lutheri.*



nis loco sublato, ad meretricia iurgia, & scurrilia conuitia dantaxat Lutherus cōfugerit. Quod Rex prudentissimus, atque idem eruditissimus, cum sensisset, non est dignatus, cum scurrante impuro nebulone connugari: Sed pro magnitudine animi, ea omnia blateramenta nugalia, & frigidi fraterculi scommata, tanquam cachinnantis morionis inconditos gestus contempsit. Nunc vero quum ausus Lutherus est, tam stolidi de fauorem eius ambire, quo illius nomine abutiliceat, ad commendandum factionem suam, haud comittendum putauit, quin significaret omnibus, non tam leuem esse se, uti fatui fraterculi leuibus blanditiis inescari aut capi vellet: Nec ita inconstantem, ut ab eo quod verum & rectum nosset, deduci vlllo pacto posset. Et Ioannes Cochleus. Si Catholicus es (inquit) Lector minime profecto displicere tibi poterit responsio Regis, cum tantam præ se ferat vbiq̃ honestatem, eruditionemque ac pietatem. Sin vero Lutheranus, displicebit forsitan, sic depingi tibi Lutherum. Considera tamen paulisper, Num priorem legis Epistolam, an deceat eum, qui haberi vult Euangelista, Propheta, Ecclesiastes, Vir Dei, Apostolus Germaniæ &c. tanta vti leuitate, ut & seipsum leuitatis condemnet aduersario: Et quod prius maxime serio scripsit, tantaque cum cettitudine (si ipsi credas) asseruit, ut totum illud se de cælo habere iactitauerit: nunc muliebriter blandiendo, ad emendicandam gratiam ab aduersario, quem tam fe-

*Leuitas Lutheri.*



rociter ac superbe, contra bonos mores, atque adeo & contra Euangelicā charitatem ac mansuetudinem, infectatus fuerat, reuocare, ac publico libello Palinodiam cantare libenter velle modo id illi placitum esse vel leui iudicio intelligat: Non curans, quid Principes ac Politici sapientissimique illi homines, quos partium suarum esse gloriatur, dicturi sint, quod ipsos tam nequiter deceperit, ac summo nunc cum rubore eorum recantare velit, vt eis tandem idem reddat præmium, quod antea Rusticis nequissime seductis ac miserabiliter occisis, reddidit si modo externum aliquem queat defensorem inuenire &c. Idem Cochlaus in Bugenhagii Pomerani, Plebani Vuittenbergensis, Epistolam ad Anglos scriptam respondens, dum ille diceret, Se mirari, cur sacrum Christi Euangelium quidam isthic verentur suscipere, propterea, quod de Lutheranis mala dicuntur, ignorant, quod oportet filium hominis reprobati mundo, & stultitiam haberi prædicationem crucis. Ad hæc ita respondit Cochlaus. Nil Rex Anglorum vere Christiano animo mansuetus ac clemens esset, magisque ad donandas propter Christum, quàm ad vlciscendas gladio ultore iniurias inclinatus: Iam pridem profectum vestrum, simul cum omnibus coruis & pupis eius, euertisset funditus. Hoc enim illi haud difficile factum fuisset, cum polleat tantis & viribus opibusque & amicis. Quod si gens illa, non minus sane ferox & bellicosa, quàm celebris

*Verba Cochlei contra Pomeranum.*



bris & opulenta, non esset tam longe natura  
 terminis a spelunca vestra disiuncta: haud du-  
 bium est, quin egregie vindicatura esset, & suas  
 & Regis sui, quas euomistis ex antro illo, teter *Iniuria in An*  
 rimi Caci, iniurias. An vero iniuriosum non *glos.*  
 est, scribere, esse quosdam in gente illa religiosis-  
 sima vereque Christiana, qui sacrum Christi E-  
 uangelium suscipere verentur? Quod rogo Euā-  
 gelium Christi, an Matthæi? an Marci? an Lucæ?  
 an Ioannis? At hæc Quatuor susceperunt Angli  
 semperque religiose tenuerunt apud se. Nongē-  
 tos ( uti ex Gregorio dictum est ) annos, quan-  
 do nidus vester informis adhuc erat sylua. Nec  
 plura recipit Euangelia Sedes Petri aut Ecclesia  
 Christi, Quid igitur calumniaris religiosam gē-  
 tem, de non suscepto Euangelio Christi? Quis  
 det tibi libros vestros tot hæresibus fædos, re-  
 cte dici sacrum Euangelium Christi? Quis dein  
 de æquis auribus accipiat, Quicquid in vos hæ-  
 reticos dicitur, in filium hominis continuo dici  
 Filium certe hominis gens illa utique agnoscit,  
 ac reueretur religiosissime: Vos autem, vt no-  
 uos Hæreticos & Vnicluuos, ac velut labes & ma-  
 culas fidei religionisque nostræ fœdissimas, An-  
 gli omnes, cum Papa Regeque suo, & vniuersa  
 Ecclesia Christi merito vitant, exhorrent ac de-  
 testantur. Vocem enim aliorum non audiunt  
 oues Christi, sed fugiunt ab eis. Vbi vero *Diatriba E-*  
 Erasmus Roterodamus, vir summæ eloquentiæ *rasmi de lib.*  
 eruditionisque & autoritatis in Germania, de li-  
 bero, arbitrio eclidisset libellum, quem modeste *arbitrio.*  
 Ruj



diatribâ seu collocatione inscribit: multis profecto Lut. dogmata reddidit suspecta, quibus antea videbantur Evangelica. Sic enim ait in prefatione. Nihil aliud præfabor in presentia, quam id quod res est, me nunquam iurasse in verbis Lutheri. Proinde nemini videri debebat indignum, sicubi palam dissentirem ab illo. Nimirum ut nihil aliud, homo ab homine: tantum abest, ut nefas sit, de illius aliquo dogmate ambigere, multo minus, si quis veritatis eliciendæ studio moderata disputatione cum illo congregaretur. Certe Lutherum ipsum non arbitror indignum, sicubi quis ab ipso dissentiat, quum ipse sibi permittat, non solum ab omnium ecclesiæ doctorum verumetiam ab omnium Grammaticorum, Conciliorum, Pontificum Decretis appellare. Quod quum ipse palam & ingenue profiteatur, mihi non debet apud illius amicos esse fraudi, si repero. Proinde ne quis hæc perperam interpretetur, qualis solet esse inter commissos gladiatores, cum unico illius dogmate conflictabor, non in aliud, nisi ut, si fieri queat, hæc collisione scripturarum & argumentorum, fiat evidentior veritas: cuius indagatio semper fuit honestissima studiosis. Res sine conuitis ageretur, siue quia sic magis decet Christianos: siue quia sic certius inuenitur veritas, quæ sapienter omnium altercâdo amittitur. E infra. Iam quando Lutherus non recipit auctoritatem vllius scriptoris, quamuis approbati, sed tantum audit scripturas Canonicas: sane quàm libens complectar hoc laboris compendium. Quum enim

*Lutherus conuenit Ecclesiasticos patres.*



tum apud Græcos, tum apud Latinos innumeri  
sint, qui vel ex professo, vel per occasionem tra-  
ctant de libero arbitrio: Non mediocris ne-  
gocii fuerit, ex omnibus colligere, quid quisque  
pro libero arbitrio, aut contra liberum arbitriū  
dixerit. Et in explicandis singulorum dictorum  
sensus, aut diluendis confirmandisque illorum  
argumentis, prolixam ac molestantem operam su-  
mere, apud Lutherum & huius amicos etiam i-  
nanem: Præsertim cum illi non solum inter se  
variant, verum etiam ipsi sibi non satis con-  
sentiant aliquoties. Et tamen illud interim Lecto-  
rem admonitum velim, si scripturæ diuinæ testi-  
monii ac solidis rationibus videbimur cum Lu-  
thero paria facere, ut tum denique sibi ponat ob-  
oculos tam numerosam seriem eruditissimo-  
rum virorum, quos in hunc usque diem tot sæcu-  
lorum consensus approbavit. Quorum plarof-  
que præter admirabilem sacrarum literarum  
peritiam, vitæ quoque pietas commendat: Qui-  
dam etiam doctrinæ Christi, quam scriptis de-  
fenderant, sanguine suo testimonium reddi-  
derunt. Et rursus. Si ergo Lector viderit meæ  
disputationis apparatus ex equo pugnare cum  
parte diuersa tum illud secum expendat, utrum  
plus tribuendum esse iudicet, tot eruditorum, tot  
Orthodoxorum, tot Sanctorum, tot Marty-  
rum, tot veterum ac recentium Theologorum  
tot Academiarum tot Conciliorum, tot Episco-  
porum & summorum Pontificum præiudicii.

R. iij

*Præiudicium  
pro sententia  
Erasm.*



*Hic non de  
scripturis sed  
de earum ex-  
positione con-  
trouersia est.*

*Dilutio argu-  
mentum Lu-  
therianarum.*

an vnus aut alterius priuato iudicio. Non quod  
ut fit in humanis confessibus, ex numero suffra-  
giorum, aut ex dignitate dicentium metiar sen-  
tentiam. Scio frequenter vsu venire, vt maior  
pars vincat meliorem: scio non semper esse opti-  
ma, quæ plurimis probantur: scio nunquam de-  
futurum in indagacione veri, quod superiori  
adiiciatur industria. Fateor par esse, vt sola diu-  
inæ scripturæ autoritas superet omnia mortu-  
lium omnium suffragia. Verum hic de scriptu-  
ris non est controuersia, vtraque pars eandem  
scripturam amplectitur ac veneratur: Defensio  
scripturæ pugna est. In cuius interpretatione, si  
quid tribuitur ingenio & eruditioni, quid Græ-  
corum ingeniis acutius aut perspicacius? Quid  
in literis sacris exercitatus? Nec Latinis defuit  
ingenium, nec literarum sacrarum peritia, Qui  
si naturæ fœlicitate cesserunt Græcis, certe mo-  
numentis illorum adiuti, potuerunt Græcorum  
industriam æquare. Quod si in hoc iudicio ma-  
gis spectatur vitæ sanctimonia, quàm eruditio,  
vides quales viros habeat hæc pars, quæ statuit  
liberum arbitrium: facessat odiosa (quod a-  
iunt Iureconsulti) comparatio. Nolim enim  
quosdam istos noui Euangelii præcones cum ve-  
teribus illis conferre. Et iterum. Vnde igitur  
explorabimus spiritus? Ex eruditione? vtrique  
Rabini sunt. Ex vita? vtrinque peccatores. In al-  
tera totus sanctorum chorus, qui statuunt libe-  
rum arbitrium. Verum aiunt, sed homines erant.  
At ego iam homines confero cum hominibus  
non



non homines cum Deo. Audio. Quid multitu-  
do facit ad sensum spiritus? Respondeo. Quid  
facit paucitas? Audio. Quid facit mitra ad intel-  
lectum scripturæ diuinæ? Respondeo. Quid fa-  
cit sagum aut cuculla? Audio: Quid facit cog-  
nitio Philosophiæ ad cognitionem sacrarum lite-  
rarum? Respondeo. Quid facit inscititia? Au-  
dio. Quid facit ad intellectum scripture congre-  
gata Synodus, in qua fieri potest, vt nullus ha-  
beat spiritum? Respondeo. Quid faciant con-  
uenticula priuata paucorum, in quibus verifi-  
milis est neminem esse, qui habeat spiritum.  
Paulus clamat. An experimentum queritis inha-  
bitantis in me Christi? Non credebatur Apосто-  
lis, nisi miracula fidem adstruxissent doctrinæ.  
Nunc quilibet sibi postulat credi, quod affirmet  
se habere spiritum Euangelicum. Apostoli, quo-  
niam excutiebant viperas, sanabant ægros,  
excitabant mortuos, imposita manu dabant do-  
num linguarum: ita demum creditum est, &  
vix creditum est illis Paradoxa docentibus. Nūc  
quum iuxta communem opinionem adferant  
pene Paradoxotera, nullus illorum adhuc extitit,  
qui vel equum claudum sanare potuerit.

Ad eum vero libellum diu tacuit Lutherus,  
cum Latine scripisset Erasmus, non ad in-  
doctam, plebem Germaniæ, cui maxime in-  
cubabat Lutherus. Multorum aut querelis excita-  
tus, tādē, maxime vbi in Germanicā quoque lin-  
guā ab Emsero & Cochlæo versus esset libellus  
Erasmi, assumptis in auxiliū sociis edidit librū,

*Lib. Luth. de  
seruo arbitrio.*



de seruo arbitrio. In quo Erasmo, ut ei & scientiæ  
& auctoritatem adimeret, grauissime oneravit  
calumniis, à quibus ille se mox vindicauit in  
Hyperaspiste suo. Inter conuitia tamen & calu-  
nias, multas interim & laudes ac blanditias im-  
miscuit, præter morem suum, siue quod adiuro-  
res & Consilarii eius, Ionas & Melancton, ita  
vellent: siue quod Erasmus Principibus &  
Theologis magis redderet suspectum, veluta-  
micum Lutheri occultum, propter metum ab  
Orthodoxis Principibus & Regibus, quos ille  
Erasmo clementes ac benignos non nesciebat.  
In hæc igitur verba suum de seruo Arbitrio exor-  
sus est librum. Quod tardius Diatribæ tuæ de li-  
bero Arbitrio respondeo, Venerabilis Erasme,  
præter spem omnium, præterque morem tuum  
accidit, qui hæcenus huiusmodi occasiones scri-  
bendi, non solum libenter apprehendisse, sed  
vltro etiam quæsisse visus sum. Mirabitur forte  
quispiam nouam illam & insolitam, uel patien-  
tiam vel fortitudinem Lutheri. Quem nec tot  
iactatæ voces & literæ aduersariorum excitauit  
Erasmo victoriam congratulantes, & Io Pæan  
cantantes: Scilicet Maccabæus ille & peruica-  
cissimus assertor, in uenit tandem dignum Anta-  
gonistam, contra quem hiscere non audeat. Verum  
illos non modo non accuso, sed ipsemet tibi pal-  
mam concedo, qualem nulli antea concessi,  
non solum quod viribus eloquentiæ & ingenio  
me longissime superas, qualem nos omnes meri-  
to tibi concedimus: quanto magis ego barbarus

*Fraudulenter  
laudat Eras-  
mum Lutheri-  
us.*

*sb. d. n. I. d. n. I.  
s. n. d. n. omni*



in barbarie semper versatus. Sed quod & spiritum meum & impetum & remoratus es, & laudum ante pugnam reddidisti, idque duabus rationibus. Primum, arte, quod mirabili scilicet & perpetua modestia causam hanc agis, quam mihi obstitisti, ne possem in te accendi. Deinde fortuna, vel casu vel fato, quod in tanta re nihil dicis, quod non dictum sit prius: atque adeo minus dicis, & plus tribuis libero arbitrio, quam hactenus Sophistæ dixerunt & tribuerunt (de quo latius dicam infra) Ut etiam superuacaneum videretur, respondere istis argumentis tuis, antea a me quoque toties confutatis: Conculcatis vero & proflus prostratis, per Philippi Melancthonis de locis Theologicis inuictum libellum, meo iudicio non solum immortalitate, sed Canone quoque Ecclesiastico dignum. Cuius libellus comparatus, ita mihi sorduit ac diluit, ut tibi vehementer compaterer, qui pulcheerrimam tuam & ingeniosam dictionem in istis fordibus pollueres: ac materia indignissima indignarer, quæ tam preciosis eloquentiæ ornamentis veheretur, tanquam si quisquiliæ vel sterco ra aureis argenteisque vasis portaretur. Et infra Summa, hæc tua verba hoc sonant, apud te nihil referte, quicquid à quolibet ubique credatur modo pax mundi constet, licereque ob periculum vitæ, famæ, rerum, fauoris, illum imitari, qui dixit. Aiunt aio: Negant nego. Et habere dogmata Christiana nihilo meliora, quam Philosophorum & hominum opiniones, pro quibus stul-

*Quem laudauit, mox contemnit etiam plus quam Sophistas.*

*Nequitiosa in Erasmus calumnia.*



rissimum est rixari, pugnare, asserere, quod inde nihil nisi contentio & turbatio pacis externæ ueniunt: Quæ supra nos, nihil ad nos. Ita di rempturus nostros conflictus, uenis medius, ut utrosque suspendas, & persuadeas, de stultis ac inutilibus rebus non digladiari. Sic, inquam, sonant tua uerba, & quid hic premam, puto te intelligere, mi Erasme. Sed, ut dixi, uerba eant, cor tuum interim excuso, modo tu non prodas latius, ac metue spiritum Dei, qui scrutatur renes & corda, nec fallitur compositis uerbis. Dixi enim hæc ideo, ut deinceps desinas nostram causam arguere pertinaciæ & peruicaciæ. Nam hoc consilio aliud nihil facis, quam quod significas te in corde Lucianum, aut alium quendam de grege Epicuri porcum alere, qui cum ipse nihil credat esse Deum, rideat occulte omnes, qui credunt & confitentur, & rursus. Sed illud magis est intolerabile, quod causam hanc liberi arbitrii inter ea numeras, quæ sunt inutilia, & non necessaria: & loco eius nobis recenses, quæ ad pietatem Christianam satis esse iudices. Qualem formam certe describeret facile quilibet Iudæus aut Gentilis, Christi profus ignarus. Nam Christi ne una quidem iota mentionem facis, ac si sentias, Christianam pietatem sine Christo esse posse, tantum si Deus natura clementissimus totis uiribus colatur. Quid hic dicam Erasme? Totus Lucianum spiras, & in balas mihi grandem epicuri crapulam. Si tu hanc causam non necessariam ducis Christianis, cedo quæso

*Alhuc  
grauior ca  
lumnia in  
eundem*



quæso ex harena, nihil tibi & nobis. Nos necessarium ducimus. Si est irreligiosum, si est curiosum, si superuaneum, ut tu dicis, scire, an deus contingenter pretia aliquid, an voluntas nostra aliquid agat in his, quæ pertinent ad æternam salutem, vel tantum patiat ab agente gratia: an quicquid boni uel mali facimus, mera necessitate faciamus vel patiamur potius, Quid rogo erit tum religiosum, quid graue, quid utile scitu? Hoc prorsus nihil valet. *Hoc est Erasmus.*  
 Erasme, Das id zuuuel. Difficile est hoc tribuere ignorantia tuæ, ut qui iam senex & inter Christianos versatus, & sacras literas diu meditatus, non relinquis locum, quo te excusamus, aut bene de te cogitemus. & tamen hæc portenta tibi ignoscunt Papistæ, & ferunt, ea gratia, quod in Lutherum scribis, alioqui te dentibus laceraturi, si Lutherus abesset, & talia scriberes. Eum igitur librum Lutheri, ubi vidit Erasmus, mira celeritate scripsit Hyperaspisten, hoc est, Defensorem Diatribæ suæ, ut ipsius indicant verba ad Lectorem. Prodiit (inquit) Seruum arbitrium, titulo Martini Lutheri, sed elaboratum à multis, multo tempore. Nam ante annum liber excudi cœperat, ut narrabant, qui prædicabant se vidisse paginas aliquot, summaque cura, quod ipsa res indicat, liber mihi sero redditus est, idque casu. Nam ipsi celabant, ut saltem ad menses aliquot triumphum agerent, non solum addidisti Luthero, verum etiam, utrique inimici, mihi quidem ob bonas literas

*Hyperaspistes Erasmi contra Luth.*



illi vero ob improbata dogmata. Temporis  
 spacium, quod dari poterat tum relegendæ Dia-  
 tribæ, tum perlegendæ Lutheri libro, non tam  
 prolixo quam loquaci: tum responsioni meæ,  
 non erat longius Diebus Decem. Deinde ad ip-  
 sum Lutherum cōuersus, ait. Quam multa sunt  
 in isto tuo libro prorsus Aprosdionysa, quam  
 multa superuacanea, quot in locis communibus  
 moræ, quantum conuitorum, quam multa ma-  
 nifestæ vanitatis, quantum stropharum, quantum  
 figurati morsus, quam multa parum pudenter  
 detorta ac deprauata, & ex deprauatis Tragicæ  
 conclusiones, rursus ex his vociferationes in im-  
 meretē. In his, quoniã tibi visũ est bonas horas  
 collocare male, cogor & ipse in refellendo non  
 nullam aque meæ portionem consumere. Pri-  
 mum igitur demittor, quum mea Diatriba nihil  
 habeat, nisi moderatam de re disputationem,  
 quumque è propinquo allatret Hieronymus Em-  
 ferus, è longinquo Ioannes Cochlæus adiarget  
 ex Anglia, præter Roseum & alios, Ioannes E-  
 piscopus Roffensis iustis voluminibus te laces-  
 sat, è Gallia Iodocus Clichtoueus Lutherum op-  
 pugnet Antuluthero, ex Italia Christophorus Lo-  
 goliuse laboratam orationem in te torserit. De-  
 nique cum hic habeas ex tuæ sodalitatæ Cory-  
 phæis, qui tibi sedulo faceffant negocium, quo-  
 rum Ulrichus Zuinglius ædito libello nequaqu-  
 am, vt ferunt, edentulo, dogma tuum, sed ex-  
 parte cum Ecclesia, commune, de Eucharistia  
 oppugnat: quum idem fecerit, Capito, & Ioan-



nes Oecolampadius, nullis quidem conuitiis, sed crebrioribus & acrioribus machinis. Hæc inquam, quum ita sint, demiror quo consilio ad omnes obmutescens, nostræ Diatribæ respondendum putaris. Et post pauca: an Verum hic obsequutus es fratribus, inter quos suo permultos esse, quorum mores procul absunt ab Euangelio, cuius titulo se se venditant. Horum cupiditibus, Luthere, te plus satis obsequentem præbes, non sine graui detrimento causæ, quã sustines. Non enim me clam est, in cuius gratiam ad istum modum scripseris in Cochæum, & in regem Angliæ. Is nimirum erat, in quo duas personas Comicas posses agnoscere, stupidi-  
Is erat, Vuilhelmus Nesus, qui Vuitteberge in Albi suffocatus perit.

disimum ac gloriosissimum Thrasionem, & adulantissimum Gnathonem. Cerre indignus erat, cuius hortatu vel epistolam scribere debueris in tam arduo tamque periculoso negotio. Quin illud potius erat tibi reputandum, quam personam suscepisses: Videlicet, qui se profiteretur, Euangelium iam plus mille Quingentis annis sepultum & obrutum, reuocaturum in lucem, & abrogata Pontificum, Conciliorum, Episcoporum & Scholarum autoritate, promitteret orbi certam verâque viam salutis, quam hætenus mundus ignorasset. Quã vero nõ cõgruebat, vt qui tam arduo negotio, velut Atlas cœlo supposuisset humeros (tam enim tecum sic ago, quasi vera sint omnia, quæ tibi arrogas) perinde quasi in te ludicra, diæteriis, sãnis, salibus, & cacinnis, in quoscunq; lubitũ fuerit, ludar, &

*Reprehendit leuitatẽ  
Luth. in re  
tam ardua.*

*Is erat, Vuilhelmus Nesus, qui Vuitteberge in Albi suffocatus perit.*



*Euth. content  
nut omnes ve  
lut indoctos,  
qui ei contra-  
dicunt.*

stylum vel stringat vel moderetur in quemquam  
non dicam in regem. Et infra. Porro, quod tibi  
cum Paulo vindicas scientiam, utinam id vere  
posses, simulque prestares spiritum Evangelicum  
qui fragrat in scriptis Pauli, quum in tuis obstre-  
pat alius, spiritus. Aut quæ tandem contu-  
melia est, si tu, mihi derogas, scientiam:  
quum eandem iam dudum detrahas & Conci-  
liis Vniuersalibus, & Pontificibus, & Episcopis  
omnibus, & priscis pariter ac recentibus Eccle-  
siæ doctoribus, denique scholis omnibus? Quis  
vnquam sapuit, qui vel latum, ut aiunt, digrum  
dissenfit à tuis dogmatibus? Omnes quamlibet  
antea docti, protinus ut tibi contradicere cepe-  
rint, patiuntur hanc Metamorphosim, ex Lyn-  
ceis vertuntur in Talpas, ex hominibus in fun-  
gos. Et rursus. Ceterum quis illud absque ri-  
su leget, quod scribis, mea modestia te segnio-  
rem redditum ad pugnam, quum ista fortitudo  
tua, me frustra reuocâte, iam orbem vniuersum  
exitialibus dissidiis concusserit. An equo sic cur-  
renti erant subdenda calcaria? Habemus fructum  
tui spiritus, res vsque ad cruentam stragem pro-  
gressa est, & metumus atrociora, ni Deus pro-  
piciatus auerterit. Dices, hanc esse naturam ver-  
bi: Ego non nihil arbitror referre quomodo præ-  
diceretur verbum Dei, Ut iam Dei verbum sit,  
quod doces. Non agnoscis hosce seditiosos, o-  
pinor, sed illi te agnoscunt. Et iam compertum  
est, multos, qui se iactabant Euangelii nomine,  
fuisse seditionis crudelissimæ instigatores. Quo-  
rum



rum conatus si successisset, fortassis extitissent qui probarent, quod nunc te male gesta detestantur. Tu quidem libello in agritulas sauisimo suspicionem abs te depulisti: Nec tamen efficias quò minus credant homines, per tuos libellos, præsertim Germanice scriptos, in oleatos & ramos, in Monachos, in Episcopos, pro libertate Evangelica, contra Tyrannidem humanam, hisce tumultibus fuisse datam occasionem. Et iterum. Deinde, quum me toties facias Lucianum Atheon, qui dicam in corde meo, Non est Deus: Quum me facias Epicuri de grege porcum, quasi credam, aut nullam esse Deum, aut si quis est, ei non esse curæ res mortalium. Hæc, inquam, quum impingas, quibus ne fingi quidem quicquam potest atrocius, tamen addis hyperbolū, me scire, quid hic premas. Hic erat locus in te debacchandi, si calami tui petulantiam imitari vellem. Nihil erat opus tam impudentibus commentis, poteram ex aliorum sententis aperire, quod monstrum tu celes in corde: Et quem spiritum tua scripta nobis inhalēt. Etenim si tibi ius facis, quidlibet in me iaculari, vel ex tuorum Veredariorum delationibus, vel ex fratrum literis, vel ex animi tui divinatione: Quanto iustius ego possem idem ex Cæsaris ac Pontificum Diplomatum, ex granium virorum libris in te proditis? Et ita sine. In salutis negotio non aliunde flagito præsidium, quam à misericordia Domini, neque secundum Deum, vlla in re, plus habeo vel spei vel solatii;

S

*Retorquet  
Erasmus calli-  
ciam in Lib.*



*Purgat se  
à calumniis  
Erasmus.*

quàm in sacris literis. Et quem admodum in la-  
cubrationibus meis, non nego, potuisse fieri,  
vt alicubi scripturæ germanum sensum non  
attigerim: Ita sanctissime deierare possum, me  
scientem, nec in gratiam hominis, nec ob me-  
rum hominis, vsquam docuisse secus, quàm  
sentirem, saltem opinione probabili. Qui me-  
cum domesticam habuerunt consuetudinem,  
sinon sanctimonix, quam desidero potius quàm  
habeo, certe huius animi possunt esse testes.  
Qui nunquàm effatiuit verbum vel ioco vel  
serio, quod saperet Lucianum, Epicurum, aut  
Porphyrium. Ineptum erat, hæc testificari scri-  
pto, nisi Lutherus Euangelii vindex, accurato  
libro talibus facetiis voluisset in Erasmus ani-  
cum ludere. Nunc si quis mallet habere fidem  
illius impudentissimæ criminatiõni, qui me no-  
nouit, quam meæ testificationis, suo periculo fi-  
ciet: me liberabit hæc animi mei declaratio.  
Hæc Erasmus.

*Dieta Spi-  
vensis.*

Eo anno iussu Cæsaris vocati sunt Spi-  
ritus Principes, & Status Imperii, ad celebranda Co-  
mitia, atque ad consultandum in commune,  
tum de pace & religionis negotio, tum de sub-  
sidio Vngaris contra Turcas ferendo. Cæsar  
bellis implicitus, in propria persona adesse non  
poterat. Fratri autem suo, qui vices eius in Im-  
perio agebat, adiunxit Quatuor Commissarios,  
magnæ autoritatis viros, vt pleniori vigore om-  
nia expedirentur. Vocati sunt & Lutherani  
Principes, Dux Saxonix Ioannes, Princeps Ele-  
ctor



ctor, qui defuncto Fratri Duci Friderico, in Ele  
ctoria dignitate recens successerat: & Lantravi  
us Habsiæ Philipus, qui post occisos rusticos, à  
Lutheranis tandem Persuasus, in eorum sectam  
transiit, frustra reclamante tum socero suo Du  
ce Saxonie Georgio, tum pietissima eius ma  
tre, quæ in mortem vsque Catholica permanfit.  
Hi ergo adducentes secum suos Concinatores,  
& noui ritus sacrificulos, petebant sibi addici  
templum aliquod, in quo suis & sacris & con  
cionibus vti libere possint. Episcopus autem  
Spirensis, Georgius, qui Nalalibus erat Dux Ba  
varie, & Comes Palatinus Rheni, fortiter inter  
dixit eis, ne vlllo in templo noua sacra aut suas  
conciones peragerent. Cum ergo de sacris aut  
sacrificiis parum curæ haberent, iusserunt suos  
Concinatores in atrijs ædium suarum quoti  
die ad populum concionari. Ingens itaque fuit  
ad eorum sermones concursus plebis & rustico  
rum, non tam discendi gratia, quàm propter  
novitatem loci, modumque insuetum, ad audi  
enda in Clericos & papam conuitia. Atque vt  
complures allicerentur ad eorum sectam, data  
opera in ferculis portabantur carnes coctæ in  
Sextis feriis, aliisque dieb<sup>9</sup> ieiuni, aperte, in cõs  
pectu totius auditorii, per attru ad mēsam Prin  
cipum & Aulicorū, in Ecclesiæ & Catholicorū  
publicum despectum. Patrabantur & alia id  
genus multa parum Euāgelice ab Evangelicis  
ibi hominibus. Ministri eorum, Equites & sta

S ij

*Lutherica cõ  
ciones.*



*Iactantia Lutheranorum  
de verbo Domini.*

*Duo libelli  
pestilentes in  
illa Dieta*

bularii, Idiora, petulanter iactabant verbum Domini, & in dextra manica vestimenti gerabant has literas V. D. M. I. Æ. Hoc est Verbum Domini manet in æternum. Cæteri Principes & Episcopi, simul cum fratre Cæsaris intererant sacro publico Diebus festis in templo maiore: quod insigne est opus Cæsarium Henricorum, vbi & monumenta eorum visuntur. Lutherani vero eodem tempore domi suos audiebant Concionatores, per quos & populum à sacris auertebant. Ad huiusmodi temeritates & ausus conuiuere cogebantur Catholici, non solum propter saluum conductum, & fidem publicam illis promissam: verum etiam propter iniquitatem & difficultatem pessimi temporis. Nam Germaniæ populi Lutherico fermento inescati, sacerdotumque ac Monachorum bonis inhiantes, ad tumultus & seditiones erant inclinati, & in externis quoque Nationibus grauissimi erant motus. De Italia enim diuturno bello contendebant Cæsar, & Rex Franciæ: Vngaris autem, infestissimo exercitu & maximis copiis imminebat in propria persona Imperator Turcarum. Circumferebantur item libelli Lutherani venales, per totam ciuitatem, maxime vero duo libelli, paruuli quidem mole, sed virulentia perquam grandes. Quorum alter erat Sermo Lutheri Teuthonicus, de Destructione Hierusalem: Alter vero, amarulenta Epistola cuiusdam nebulonis, qui se conficto nomine dicebat Argyrophylacem, Thesaurarium: vobis vocabulo



vocabulo redderet suspectum Principis FER-  
 DINANDI Thesaurarium, velut Luthera-  
 num, & eius nomine Epistolam Principibus, ac  
 Statibus Imperii, commendabiliorem redderet  
 Cunque breuis esset Epistola, & lectu facilis, at  
 que non solum Latine, verum etiam Teuthoni-  
 ce impressa: perquam plurima, vendebantur  
 Exemplaria. Quę sane diuulgatio, nocentissima  
 erat contra Ecclesiasticos practica, dolus & ma-  
 lignitas, non solum quod oratio compositis ver-  
 bis ad commendandam Lutheri doctrinam va-  
 fre adornata erat: Verum etiam quod Reipub.  
 vilitatem videretur intendere ac indicare adē-  
 ptione priuilegiorum, quibus donati sunt Ecclē-  
 siastici. Ait ergo. Sæpe mecum mirari soleo  
 Illustrissimi Pontentissimique Germanorum  
 Principes, quod nonnulli vestrum, tam atroci-  
 ter in eos, quos hæreticos vocant, sæuiant: Ut  
 propter quæstiones opinionēque quasdam de  
 religione, in homines alioqui innocētes, & Rei.  
 commodos, expillis, honorū direptionibus, gla-  
 dio, aqua, & igni, animaduertere non reformi-  
 dent. Si autem in vos aut in Remp. vestram pec-  
 catent, iustiore certe titulo punirentur. Modo  
 cum eiusmodi asserant & doceant, quæ in maxi-  
 mum Ditionum vestrarum Rerum publicarū  
 que commodum vergant (quo nomine & à vo-  
 bis premium accipere debebant) mirum, immò  
 stupendum miserandumque, quod talia citra ra-  
 tionem modumque de eis supplicia sumantur.

Egetis fortasse pecunia in Reipub. vsus

S i j

*Verba Ar-  
 graphylacis  
 ad Principes.*



*Modus colligendi pecunias.*

*Quis hodie magis eget quam egenti illi, qui maxima perpetravit sacrilegia?*  
*Iuxta illud Proverb. 11. cap. Alii diuidunt propria, & ditiores fiunt. Alii rapiunt non sua, & semper in egestate sunt.*

*Sermo Lutheri de destructione Hierusalem.*

necessaria? en maximum vobis thesaurum ostendo. Sinite monachos, & monachas (si qui velint libere abire, & victum laborando quarere. Eo vero, quibus in suis fornicibus delitescere libere frugaliter alite, & ne quis huiuscemodi ignauitatis genus posthac segetur: cauetote: Tum quicquid opum illis superest, in necessarios pauperum, Reip. vsusque vestros vertite. Experientia ni (procul dubio) intra paucos menses, quocentena aureorum millia, vnus exigue ditioris vestrae monachi & id genus homines possideat. Neque hoc meum consilium quispiam aut sceleriosum aut impium iudicet. Tam enim pius esse (si opus foret) ostendere possem, vt plane impii censendi sint Principes, qui hoc non extorquantur, malintque ab agricolis, vinitoribus, opificibus, ciuibus, aliisque sibi subiectis tributa extorquere, quam Reip. suaque ipsorum bonam tam male fidei possessoribus auferre &c. Sic & Lutheri sermo, suum commendans Evangelium, cuncta mala, atque adeo totius Germaniae interitum denunciabat, nisi ei obediretur. Quemadmodum Iudeis contigit, qui Christum audire noluerunt. Nunc esset tempus (inquit) vt bonum nostrum agnosceremus, & Evangelium cum gaudio acceptarem. Nunc enim offertur nobis gratia, per quam pacifici esse possimus. At non accipimus corde, arbitramur nos esse tuos, & non videmus magnam cladem, quae iam contigit: Non videmus, quod Deus nos tam grauititer punit Pseudoprophetae & Sectis, quos nobis



bis vndique immittit, qui tam secure prædicat, ac si spiritum sanctum profus deuorauerint. Quos pro optimis habuimus, ii populum in errores mittunt, vt nesciant pene homines, quid faciant aut quid omittant. Est igitur nunc tempus gratiæ præ foribus: nos autem contemnimus & reiicimus in Ventum: hoc Deus neque vult, neque potest nobis ignoscere. Quod ergo verbum eius ita contemnimus, vltione dignum est, & vlciscetur, etiam si Centum annos differatur vltio: at tam diu non differetur. Et quanto clarius est verbum, tanto grauior erit vltio: Vereor, ne tota Germania peritura sit. Deus hanc nequitiam inultam dimittere non potest nec diu conniuebit. Euangelium enim tam copiose prædicatum est, vt tam clarum non fuerit tempore Apostolorum. Tota igitur Germania peribit, vt vereor, oportet eam interire funditus Principes solo gladio rem peragere volūt, Deo nimis ferociter barbam velliant. Ipse igitur eos in os percutiet. Et infra. Iudæi eandem prætendebant causam, quam nunc nostri. Libenter quidem acceptaremus Euangelium, si non subesset periculum & corporis & substantiæ, si non perderentur vxores & filii. Et non consideraerunt magnam ac diuitem promissionem à Deo factam, vbi ait. Reddam tibi centuplum hic, & illic vitam æternam. Dimitte vxorem & liberos, ego bene enutriam, ego tibi reddā: aude modo alacriter super me, putasne me non scire tibi aliā ædificare domum? an tam vilem me habes.

S iiii

*Mine in Germaniam.*



Ego tibi dabo cœlum, an non audebis igitur  
per me? Si auferantur tibi bona, bene tibi, cœli  
& terra mea sunt, ego utique tibi redditurus  
&c. Eiusmodi itaque libellis, non solum plebs  
& rustica turba, verum etiam plerique Optima-  
tum & Nobilium trahebantur in fauorem noui  
Euangelii, atque in odium antiquæ religionis &  
Cleri. Vnde quum absque seditione & tumultu  
nouitas illa prohiberi aut tolli non posset: Prin-  
cipes & ordines Imperii concluderunt suspen-  
sione, ut quisque in causa religionis ita se gereret  
in terris suis ageret, sicut consideret iustificato-  
re ac respondere coram Deo, & coram Cæsare Ma-  
iestate. Hinc, suspensis in hunc modum omnium  
animis, cum nulla esset certa pax, aut securitas  
factum est, ut nemo Germaniæ Principum  
tulerit Regi Vngariæ & Bohemiæ, LUDOU-  
ICO. In cuius fines Turcarum Imperator ma-  
gis copiis iam ingressus erat, Nam & domi ni-  
hil erat securum à seditiosis subditorum animis  
& omnis miles à Luthero inuoluntarius in impri-  
dem reditus fuerat, ad proficiscendum contra  
Turcas, scripserat enim ille, quod perigliari ad-  
uersus Turcas, sit repugnare Deo, vixitanti in-  
iquitates nostras per illos. Scripserat, nos hacten-  
us nihil habuisse prosperum aduersus Turcam  
& vires eius atque imperium nostris bellis aut  
esse in immensum. Scripserat non licere Chris-  
tianis bellare, sed vim & iniurias pati. Scripse-  
rat, denique, Turcam esse decies probiorem  
ac prudentiorem principibus nostris: Ideo ni-  
hil

*Decretum  
Spirense.*

*Vngariâ  
Germaniis  
derelicti  
per Luth.*

*In assertione  
art. 34.*

*De bello con-  
tra Turcas.  
Contra duo  
mandata Im-  
perialia.*



hil prosperitatis à nostris expectandum esse, nec  
 quicquam esse contribuendum contra Turcas  
 &c. Derelictus itaque ab omnibus Germa-  
 niæ Principibus, pius, Innocens, ac Inclytus  
 Rex Ludouicus, Cæsaris nostri Sororius, cum  
 accepisset minacissimas à Turca ex Belgrado  
 literas, & audiret illum crudelissime seuire in  
 deuictos atque etiam in deditos, nec vllam vlli  
 seruare fidem: ex subditis suis conscripsit quan-  
 tum potuit exercitum, vocauit in auxilium Bo-  
 hemos, & Ioannem Vuaiouodam, Comitem  
 Ciliae, atque ex regno Vngariæ congregauit ad  
 se satis iustum exercitum, si ex fide cum eo  
 actum fuisset. Nam fertur in Equitatu habuisse  
 circiter X X X. Milia. Vbi ergo intellexerat,  
 quanta saeuitia & immanitate debacchatus esset  
 in ciuitatem Quinque Ecclesiensem Turca, ex  
 Buda processit cum exercitu obuiam hosti. Ve-  
 rum cum non adessent in tempore Bohemi &  
 Vuaiouoda, & in exercitu quoque suo nonnullos  
 haberet proditores: mox, vbi eius tormenta bel-  
 lica male excussa, Turcæ aut tormenta optime  
 in hostem directa fuissent, magnamque stragē  
 dedissent, inito prælio fusi sunt Vngari. Rex ac-  
 ceptis aliquot vulneribus, in fugam cum paucis  
 conuersus, fugiendo in lacu quodam periit. Fu-  
 it ea clades non solum exitialis opulentissimo  
 Vngariæ regno, quod Turcarum Tyrannidi su-  
 pra CC. annos fortissime resisterat: Verum  
 etiam pate fecit hostibus, Christi aditus ad  
 Germaniam. Ferunt enim Turcam pio Regi

*Fatum Ludo-  
 uici Regis Ku-  
 gariæ in bel-  
 lo contra Tur-  
 cas.*

*Turcarum  
 crudelitas &  
 præda.*



in literis suis comminatum fuisse, quod non solum Regē ac Proceres eius esset assaturus, palo que transfixurus : verum etiam religionem & Crucifixum illorum vellet omnino delere, & in silentium redigere. Fuso igitur Rege, maximam egit prædam, præsertim in Bombardis, curribus que & nauibus. Abstulisse sane fertur maximas Bombardas LXXX. Minores Quinquies Mille Minimarum Decem Millia: Curruum Quatuor Millia, Nauium Quinque Millia. Peruenit ad Budam, ac omnia diripuit. Regina, Soror Cæsaris Domina M A R I A, omnibus exuta, etiam mundo muliebri spoliata, vix fuga elapsa, Vienam miserabilis peruenit. In Regis defuncti locum primo à Bohemis electus est Princeps Ferdinandus : Quem & Ungari postea elegerunt, ad quem regni iura ex antiquo tractatu ac fœdere pertinere non ignorabant. At Ioannes Cilia Comes, quamprimum abscesserat Turca, in Regis successorem à quibusdam electus, legitimo Regi Ferdinando plurimum negotii ac molestiæ peperit . Nam non solum factione, sed & armis de regno cum illo contendere perrexit : nec destitit, donec grauissimis malis afflictum iam antea regnum rursus inuolueret.

*Novus Bohemie & Ungariæ Rex Ferd.*

*Disputatio Badensis in Ergauia apud Heluetios.*

Eodem anno percelebris fuit Disputatio in Baden, Heluetiorum oppido habita inter Catholicos ac Lutheranos. Nam magister Vlricus Zuinglius, & Doctor Ioannes Oecolampadius

viii



viri docti, linguarumque Græcæ & Hebraicæ  
 periti, religiosam & Catholicam gentem Helue  
 tiorum ex parte peruerterant iam, & non medi  
 ocre in religione dissiidiū per nouā Lut. doctrinā  
 suscitauerant. Vt igitur dissēsiō turbatioque illa  
 tolleretur, cōmuni XII. cantonū sic vocāt XII.  
 distincta Dominia cōfœderatę gentis) cōsensu  
 instituta est illa Disputatio, ad quam vocati sunt  
 e Catholicis Pręclari viri, D. Ioannes Faber,  
 Consiliarius Sereniss. Principis Ferdinandi,  
 qui iam pridem grande contra Lutheri errores  
 volumen ediderat: D. Ioannes Eckius, qui  
 ante VII. annos cum ipso Luthero Lipsię cum  
 laude omnium publice disputauerat: D. Tho  
 mas Murnerus. Hi tres præcipue ad disputan  
 dum parati erant, aduersus Zuinglium & Oe  
 colampadium. Ad quam sane disputatio  
 nem, suos miserunt Oratores Quatuor vicini  
 Episcopi, ad quorum Diœceses gens Heluetio  
 rum pertinet. Episcopus namque Constantien  
 sis, Hugo, misit Claros viros, D. Melchiorem su  
 um Suffraganeum, eximium Theologum. D.  
 Othmarum Luscinium, virum Disertiss. P. An  
 tonium Pyratam, Concionatorem Maioris Ec  
 cleσιę facundissimum, & quosdā alios Pręlatos  
 & Parochos nō incelebres viros. Basilię vero  
 Episcopus, Christophorus, misit D. Augustinū  
 Marium, Suffraganeum Frisingensem: D.  
 Iacobum Lemp, Ordinarium Theologię in  
 Academia

Oratores III  
 I. Episcopos



*Zuinglius Ter  
guersator.*

*D. Eckius  
Victor.*

Academia Tubingensi, & aliquot alios doctor viros. Episcopus Lausanensis, Sebastianus, misit D. Conradum Tregarium, Prouincialem Augustinianorum, & Ludouicum Loblium, Decanum Bernensem. Episcopus denique Curienſis misit D. Petrum Speiserum, cum aliquot Canonicis Curienſibus. Aderat praterea magna eruditorum hominum frequentia. Cæterum Zuinglius, reiecta omni fide publica saluoque conductu, qui ei multifariam offerebatur: nullo pacto ad eam disputationem venire voluit. At D. Eckius multis diebus, sub Notariorum exceptione disputauit, nunc, cum Oecolampadio, nunc cum Iacobo Imeli, nunc cum Bercholdo Hallero, atque etiam cum Vlrico Studertum de aliis rebus religionis nostræ, tum præcipue de Venerabili Sacramento Eucharistiæ. Quanto autem illis omnibus superior solidiorque fuerit D. Eckius, publico declaratum fuit Heluetiorum Decreto. In quo Catholicorum obseruationes, Eckiique propositiones comprobatae atque plenæ sceleritatis edicto confirmatae fuerunt. Quarum sane iste fuit tenor.

Verum Christi corpus eiusque sanguis, præsentia sunt in Sacramento altaris.

Quæ & vere offeruntur in officio Missæ pro viuis & defunctis.

Virgo Maria, alique sancti Cœlicolæ, inuocandi sunt vt intercessores.

Domini nostri Iesu Christi, eiusque sanctorum Imagines, delendæ non sunt.

Post



Post hanc vitam Purgatorius est ignis.

Pueruli etiam Christianorum in peccato Originali nascuntur.

Baptismus Christi, non Ioannis, tollit Originale peccatum.

*Decretum  
Helvet. contra  
Luth.*

His ergo conformis facta est publici Decreti sententia. Qua & Lutheri doctrina, velut peruersa, multiq[ue] iudiciis solenniter condemnata per Leonem Papam X, per Carolum Augustum. V. per preclaras Vniuersitates, Parisiensem, Louaniensem, Coloniensem &c. Helueticorum plebibus interdicta est, & antiqua Catholicae fidei obseruatio approbata atque precepta, Ne quid temere immutaretur, de sacra Missa, de Sacramentorum administratione: de sacris ritibus Cereemoniarum, Ieiuniorum, Orationum Confessionum, Feriarum, Oblationum, Inuocationum, Exequiarumque pro defunctis. Vtigitur haec omnia firmiter tenerentur, additum fuit in fine Decreti, certos constitui debere Aduigilatores, qui vna cum Magistratibus & Officialibus publicis, diligenter huic cause inuigilent, ac prauaricatores denuncient, cuiuscunq[ue] status fuerint, vt iuxta demerita sua puniantur. Adeo sane, vt reus in vno Cantone, ab omnibus aliis Cantonibus reus itidem extorrisque habeatur, nec vsquam liceat profugis euadere poenas.

D. Ioannes Faber, cum per absentiam & contumaciam Zuinglii, disputare cum eo non posset *Antilogie con-  
tra Zung.* verbis: scriptis protulit multa, quae illi obiecturus fuerat, si comparuisset. Ingentem enim Antilogiarum



logiarum illius numerum coaceruavit in volumen vnum, quibus ille sædissime & sibi ipsi contradixit, & suam Lutherique doctrinam destruxit. Sed nimis longum foret omnia commemorare, quæ vir ille Doctissimus multiingæque lectionis, & inexhausti laboris, ex libris Zuinglii recitavit atque redarguit, partim tãquam sibi ipsi contraria: partim tanquam fidei Catholicæ aduersa, & secundum se impia, absurda, & a vero aliena. Recensuit item supra CL mendacia ex scriptis Oecolampadii, quibus ille populum fallaciter decipiebat, asserens, antiquos Doctores Ecclesiæ itidem sensisse de Eucharistiæ Sacramento, quod ipse sentiebat. Contra quem & piissimus atque doctissimus vir, Ioannes Fycherus, Episcopus Rossensis in Anglia, quinque egregios scripsit libros, errores & mēdacia illius exacte reprobans. At D. Thomas Murnerus, qui Lucernæ iis temporibus verbum Dei Catholice prædicabat: longe atrocissime in Zuinglium est inuectus, quem multipliciter per XL. conclusiones infamem, propter scelera & sacrilegia commissa, declarauit. E quibus vnã, quæ in ordine septima est, hic exempli gratia recitasse satis fuerit: licet breuitatis ratione, ne ipsa quidem tota recitabitur. Ait igitur Murnerus. Famosus est, qui census & reditus, cultui diuino ex pis causis deputatos, in prophanos vsus temerabit commutare, & cum alcerius detrimento ac iniuria alium facere locupletiorē

*Mendacia.  
Oecolampadii.*

*Acta D. Thomae Murneri  
contra Zuing.*



rem, conarique plus iuris in alium transferret  
 quam habuit ipse. Hanc conclusionem proba  
 ex legibus multis, tum Constantini Magni, tum  
 Iustiniani Augusti. Et addidit, quod annui redi  
 tus inter immobilia bona computantur. L.  
 Iubemus. C. de sacrosanctis Ecclesiis: Quæ  
 neque alienari neque auferri debent. Qui au  
 tem hoc fecerit, puniri debet, non solum faci  
 ens, sed & Oeconomus Ecclesiæ, & scriba,  
 qui eiusmodi contractum scribit, & Iudex hoc  
 admittens, ea. L. § Oeconomus. Auditis i  
 sta vos Ecclesiarum fures? Ideo nihil vobis  
 aliud expectandum restat, quàm vt calceis e  
 xutis ad patibulum proficiscamini. Et infra.  
 Hinc primo consequitur. Infamem esse quem  
 libet, qui Ecclesiis & religiosis, suas per vim  
 auferit hypothecas, & ab illis ees vi depellit &  
 iniuria. L. Prætor ait. §. Ne quid. ff. de vi  
 & vi armata. Lege Iulia publicorum iudicio  
 rum plectendum. Consequitur secundo, Du  
 pliciter infamem esse, duplicemque furem,  
 qui cum retentis hypothecis etiam capitalia de  
 tinet bona. Consequitur tertio, Hunc tripli  
 citer esse famosum, qui ultra hypothecas, &  
 bona capitalia, etiam eorundem literas & sigil  
 la furatur. L. Nec interest. ff. ad legem Iul.  
 de vi priuata. Consequitur quarto, Quadruplici  
 ter infamem esse, qui ultra hæc tria, homines vi  
 cogit sibi census & redditus auferre, cum ei ne  
 obulum quidem debeant. L. lege Iulia. ff.  
 ad legem Iuliam peculatus. O vos ( inquit )

*Contra sacri  
 legos Correla  
 tia Murneri*



*Erasmi con-  
tra Luth. &  
Zuing. prote-  
statio.*

tam multipliciter infames, euangelici nequam  
criminosi ac scandalosi Ecclesiarum futes, quibus  
eiusmodi cum veritate obiciuntur. O que scan-  
dala, quas infamias pio natali solo nostro irroga-  
tis, vestrisque parentibus in terra sepultis. Perun-  
gant obsecro hec lamenta in Thronum diuine  
Maiestatis, ad vestras tandem iniurias vlciscen-  
das. Hæc & id genus plurima Murnerus, que  
referre longum foret. Cum autem Zuingli-  
ni falso iactarent, Erasmum quoque Rotero-  
dum ( qui Basilea tum degebat ) circa Eucha-  
ristiam ipsis consentire. Erasmus eam calumnia  
scriptis ad Heluetios litetis constantissime con-  
futaui. Neque tamen cessauit per eam disputa-  
tionem dissensio, Altius enim in cordibus mal-  
torum radices egerat error, quam vt vllis ratio-  
nibus euelli possit, Et ipsi Lutherani, Zuinglius  
& Oecolampadius, iam etiam contra ipsum  
Lutherum scribere cœperunt. Quorum contem-  
tio in hodiernum vsque diem perdurat.

*Acta & Scripta Lutheri,  
Anno Domini.*

*M. D. XXVII.*

*Libellus Lut.  
contra Regem  
Anglie.*

**L**utherus ad graue ac eruditam Regis Anglie  
Epistolam perpetuo tacuisset, nisi in Ger-  
manicum translata fuisset à vicino suo, Hye-  
ron. Emsero in lucem edita. Ne igitur populus Teu-  
thonicus